

CLEMENS PONT. ROM.

Clemens VI. egregius nunc Romu-
 lei gregis Pastor, tam potentis & in-
 uictæ memoriæ traditur, vt quicquid vel
 semel legerit, obliuisci etiam si cupiat
 non possit: hoc sibi & studiorum nutrix
 alma, Parisius, & orbis vniuersus tribuit:
Ego enim & si sæpe ante pedes eius fue-
rim, tamen de hac re nihil præter famam
habeo, cui facilius accedo recolens, id si-
 bi non nouiter tributum, sed ante diu
 quàm hoc fortunæ culmen ascenderet, in
quod euecti, circumstrepentibus adu-
lantium turbis, veræ laudis iudicium a-
miserunt. Illud additur miraculo hanc
 tantam sibi memoriam, magno quon-
 dam capitis ictu (cuius adhuc testis æ-
 tas extat, ingens supremo vertice cic-
 atrix) peruenisse: Memorabilis casus si
 modo verus. Hoc enim habet inter multa
 clarorum admiratio, viam fabulis ape-
 rire solet, sed si ita est compensentur hoc
 tam fœlici vulnere, illorum casus durio-
 res, de quibus est apud Plinium: Quo-
 rum alter ictu lapidis literarū omnium,
 alter præcipiti casu matris & affinium &
 propinquorum; tertius autem morbo
 seruorum suorum, quartus etiam pro-